Petricovii Andreae: Quaestio de probationibus.

~~2596 [illegible]~~

QVÆSTIO
ex cap: Ex literis.
ext.
DE PROBATIONIBVS.
Quam

Præsidente Admod. Reuerendo & Clarißimo Dño,
D. IACOBO IANIDLOVIO
I. V. Doctore & Proffeßore Ordinario,
Protonot. Apost. & Vniuersitatis Crac.
Procancellario,

ANDREAS PETRICOVIVS Prof: Zam.
pro sui Baccalaureatûs in V. I. determin.
decidet.

Kalendis Martiis.

ANNO DOMINI, M.DC.XVI.

IN ARMA
ILLVSTRIS^MI^ DOMINI,
D. THOMÆ ZAMOYSKI.



Sanguine pastus equi gelidæ ferus incola terræ,
Bosphoreiq; omnes, hæc tria tela timent.
Senserunt obstare suis conatibus; ergo
Singula diuisim frangere sæpè volunt,
Trux Scytha, nō franges: tria sunt bene iūcta ZAMOSCI
Tela, quibus victor teq; tuosq; premet.

M. JOANNES BROSCIUS.

ILLVSTRISSIMO AC GENEROSISSIMO DOMINO, D. THOMÆ ZAMOYSKI Domino & Hæredi IN VETERI AC NOVA ZAMOSCIE, Knyſzynenſi Capitaneo. &c. Domino ſuo colendiſsimo.

ANDREAS PETRICOVIVS, S. & F.

AIT *Prætor* : Glandem, quæ ex illius agro in tuum cadat, quominùs illi tertio quoq; die legere, auferre liceat; vim fieri veto. *Quo in Edicto, glãdis appellatione omnem fructum contineri, Vlpianus reſpondit ; idemq́; Caius noſter cenſuit,* l. qui venenũ. §. glandis. ff. de verb. ſig. *Ego verò ita fructus interpretari ſoleo, vt ad eos noſtras quoque ingenuas operas, quas inclyto tuo addixi Hyppæo, pertinere exiſtimem. Siue enim eos duntaxat fructus quispiam cenſeat quos arbor fert atq; producit ; non deerit qui cum Philoſopho, Hominem dicat arborem eſſe inuer*

sam. Siue fructus pro omni sumantur vtilitate; vt in l. cum in rem. ff. de rei vindicat. *nostri profectò labores, quò magis in publicum & priuatim sunt vtiles, eò justius fructuum veniunt appellatione. In tuo ergo cùm nascantur agro, pars eorum magna in tuum vltrò decidunt solum: pars etiam in ACADEMIAE CRACOVIENSIS, tanquam piæ Matris, refunditur sinum. Sed quominùs cunctos legendi, auferendi, ius & potestas Tibi sit integra: Prætor vim fieri vetat. Et ego volens libensque eos Tibi sisto; præclarè mecum agi existimans, quòd ACADEMIAE CRACOVIENSIS alumnus, in Tuo potissimum consederim solo; & fructus hosce, laboresué meos non alius quàm hic excipiat locus. Est enim magna ACADEMIAE huius dignitas; est vetus & augusta Maiestas, ab Annis 283. MAXIMORVM REGVM Sceptris innixa; est denique ea in HYPPAEVM ZAMOSCIANVM propensio, vt veræ parentis curam ac sedulitatem in prospiciendis illius commodis æquet aut superet; vicissimq́ue ab illo non degeneris prolis cultum ac pietatem experiatur. Hinc velut in prouinciam nouos subinde deducit eo colonos,*

nos,

nos, quos ZAMOSCIVM *gratanter excipit, fouet, ac æstimat: & hoc & illa, publici ac priuati boni studio mirificè æstuat. Ac plurimum fallor, nisi in Te quoque colendo, amicâ æmulatione, de palma contendant. Tam altè vtrique infixa manent Magni Parentis tui merita; tantos ciet animos, sublimis illa & verè Heroica indoles Tua, cùm multis in rebus, tùm in hac potissimum testata, quòd* HYPPAEVM ZAMOSCIANVM *magnis sumptibus ab Illustr^mo^ Parente tuo feliciter erectum, & vsibus atque commodis Nobilitatis Polonæ dicatum, ita foueas ac tuearis: vt incolumitate illius nihil omninò habeas antiquius. Nam & Professorum numerum, quem vis fati acerba imminuerat, suppleuisti; & me in eodem esse voluisti: vt iam merito Tuo omnes mei Te vnum respiciant labores. Quanquam nunc quidem, vnâ eâdemq; operâ, duplici defungor munere; cùm in illâ etiam Coloniâ, quod pietatis fuit, conatus meos, meq; totum* ACADEMIAE CRACOVIENSI *consecro: &, quod iuris atque officij erat, fructus eorum ad Te* HEROS *Illustrißime,*

 pro iu-

pro jure tuo pertinere volui. Tu si tenellos hosce & nondum probè Soli excoctos, eâ, quâ me nuper ad te venientem, exceperis humanitate: non tantùm his gratiam, sed & alijs, qui à me hoc in genere pa-rantur, maturitatem accelerabis. Ita Te DEVS OPT. MAX. *per diuersa illa gentium atque loco-rum ducat sospitem, & reducat.*

Dat. Crac. Kalend. Martijs. Anno M.DC.XVI.



QVÆSTIO
ex cap: Ex literis.
ext. DE PROBATIONIBVS.

V. Reus, qui onus probandi delatum sibi à Iudice suscepit, aut sponte contra Actorem obtulit; deficiens in probationibus: possit vti priuilegio absolutionis, quod sibi competit Actore non probante: necne?

CONCLVSIO I.

Probatio etsi regulariter Actori incumbit non Reo: certis tamen in iure nostro expressis casibus, vtrique defertur; & potest Reus sponte eam assumere.

COROLLARIA.

1. *Quando Reus in forma Iudicij confessus est, non sunt ab Actore exigendæ aut Reo deferendæ probationes; cessatq; officium Iudicis, præterquàm in condemnando.*

2. Ne-

2. *Negante Reo, descenditur ad probationem: quæ est Ostensio rei dubiæ, per legitimos modos, facienda Iudici, in causis apud ipsum cōtrouersis.*

3. *Probatio alia est plena, quæ tantam fidem facit quanta ad finiendā controuersiā sufficit: alia semiplena, per quā rei gestæ fides aliqua fit Iudici, non tamen tanta vt Iure eam sequi debeat.*

4. *Licet de Iure duo imperfecta non efficiant vnum perfectum: duæ tamen semiplenæ probationes constituunt vnam plenam.*

5. *Negationis per rerum naturam non est probatio: si tamen coarctata fuerit loco & tempore, potest saltem indirectè probari.*

6. *Placet quibusdam, Negationes etiam puras ac indeterminatas probari per confessionem partis aduersæ: illa tamen non est probatio, sed releuatio probationis.*

CONCLVSIO II.

Deficiente in probationibus Actore, etiamsi Reus nihil præstiterit, absoluendus est, non modo ab instantia vel obseruatione Iudicij, sed etiā definitiuè.

CO-

COROLLARIA.

1. In criminalibus, qui propterea absoluitur à Iudice, quòd Actor non probauerit suam intentionem, non poterit iterum accusari de eodem crimine, etiam ab alio Actore.

2. Quodsi Actor absolutum fecerit Reum, condonans ei offensam; poterit tamen apud Iudicem exteriorem postulare criminis pœnam, ac iniuriam publicâ auctoritate vindicare.

3. Quando crimen est misti Fori, tum etsi Reus absoluatur in vno, poterit adhuc conueniri in altero; imò quamuis ab vno Iudice, puta Ecclesiastico, crimen punitum fuerit, poterit etiam per Iudicem Secularem examinari.

4. Actore non probante, si sunt vrgentes præsumptiones aduersus Reum, non statim absoluitur; sed delato & præstito Iuramento, quo se purget ab intentato crimine.

5. Laudandus est Iudex qui deficiente in probationibus Actore causam delegat alteri, cum conscientiam, quam habet de Reo, deponere non

potest

potest: quæ tamen conscientia non de sinu Iudicis, & de secretis pectoris eius procedere debet, sed de vtero & de sinu legis.

6. *Potest Actori deferri Iuramentum suppletorium in causa ciuili quantumuis magnâ & arduâ: sed non item in criminali, nisi tractetur de pœna pecuniaria non corporali.*

CONCLVSIO III.

Reus deficiens in probatione vltrò assumptâ, aut per Iudicem delatâ: iuuatur priuilegio absolutionis, quod sibi competit Actore non probante.

COROLLARIA.

1. *Dum æquales ab vtraq; parte afferuntur probationes, certi Iuris est, Reum absoluendum esse potiùs quàm condemnandum.*

2. *Paribus existentibus probationibus, potest Iudex manutenere alteram partem in mediâ possessione rei contentiosæ, & alteram in reliquâ.*

3. In causis Fisci, datâ paritate probationum, pro Fisco Actore pronunciandum est.

4. Si Reus hac expressa conditione suscepit onus probandi; vt si defecerit in probationibus causam amittat: secutâ conditione, non potest gaudere priuilegio absolutionis; sed cadit causa, etiamsi Actor nihil probauerit.

5. Quemadmodum Actor nihil probans condemnatur in damnis & expensis: ita Reus quando ob defectum probationum causa cadit, tenetur ad expensas.

6. Reus cui probationes deferuntur, Actoris tum partes sustinere intelligitur, & è conuerso Actor Rei.



Sub felicibus auſpicijs Admodũ Rñdi P. ac Magnifici Domini, M. Sebaſtiani Krupij I. V. D. & Profeſſoris, Præpoſiti Wielicien. & Vniuerſitatis Crac: Generalis Rectoris.

CRACOVIÆ,

Jn Officina Andreæ Petricouij, S. R. M. Typ.